

tarii identificatur hæres, Distinctio autem inter conscientem, vel non conscientem inventarium, non intrat in donatario, quem in jure cautum non est ad id teneri, ut advertitur *disc. præc.*

Et quamvis ex ibidem deducis, ex inventarii omissione facta per donatarium universalem, resolvetur quædam mala præsumptio, attamen hæc operativa quidem erit ad repellendum donatario excludere volentem creditores ex iuribus, ac detractionibus ex persona propria sibi competentibus, ob præsumptionem existentiam, ac præficientiam bonorum (qualis erat proprie casus præsentis controversiæ, non autem, ut agendo possent creditores directè prosequi actionem personalem contra personam, & bona propria, quoniam, aliud est illum repellere, ne excipiat de iuribus propriis, aliud verò, ne in persona, & bonis propriis molestetur. Ut habemus in hæredè beneficiati, quod si excipiendo de iuribus, & creditis propriis, velit repellere creditores, seu alias impugnare factum sui auctoris, tunc tenetur, reddendo rationes de bonis inventariatis, docere de non existentia bonorum, ex regula, quod in dubio hæreditas præsumitur opulenta, sed non exinde conveniri potest in persona, & bonis propriis, nisi præcedat praxis posita per *Salust. Tiber.* quod dicitur ad docendum de legitimo inventario, ac reddendo rationes, ut in didis suis respectivè materiis, & est praxis quotidiana; Et quamvis scribentes pro creditoribus tanquam punctualem deducere *dec. 233. Carilli* super processu executivo contra donatarium, quæ magnum faciebatur rumore, nil tamen ad rem concluditur, cum mandatum executivum fundatum esset in re iudicata contra eundem donatarium contumacem, & sic ex diversis particulari facti circumstantia.

TERRACINEN. PECUNIARIA. PRO PRINCIPE BURGHESEO CUM BALLADORIS.

Causa disputata coram A. C. & resoluta pro Burgheseo.

De eadem materia donatarii universalis obligati ad debita donatoris, an teneatur ad ea debita, quæ donator contraxit post donationem.

SUMMARIUM.

- 1 Adhæres.
2 Donator scilicet non potest revocare donationem, ita non potest alienare, vel obligare bona donata.
3 De questione an creditor anterior ex causa lucrativa præferatur posteriori ex causa onerosa.
4 Declaratur conclusio, de qua nu. 2. ut procedat in donatione particulari.
5 Quid autem dicendum sit in donatione universali.
6 De eodem, & nu. 7.
7 Fortius donatarius universalis tenetur ad debita si vult bona post donationem quaerere.
8 Donator dicitur administrator patrimonii donatoris.
9 Fideiussor quandoque inspecta veritate est potius debitor principalis.

D I S C. XLVI.

Potquam Angelus Ballardus, donationem universalem, cum onere fideicommissi de omnibus eius bonis, & iuribus præsentibus, & futuris fecit ad favorem eius fratrum, eorumque descendendum, negotiationem continuando, dum apparatus Impressionis cameræ tenebat, ac etiam officium Oppidi Normæ; curavit per ejus juvenes sui ministros, sicuti quoque a ministris Principis Burghefii officium Castri, seu Oppidi Olevani, pro eis sibi habendo cum obligatione æque principale, & insolidum; Cumque pro pensionibus decursis, relaxato contra eum mandato executivo obtento ab A. C. facta esset executio super quodam censu per dictum Angelum post donationem quaesito, Hinc se opposuerunt donatarii cum ea ad eodè frequenti cautela, quæ in Curia Angeli nuncupatur, apponi solita per eos, qui de præteritis tertios possessores, ex eo quod census utpote comprehensus in donatione universalis omnium bonorum præsentium, & futurorum, ad ipsos uti donatarios pertineret.

Et quamvis scribentes pro eis, non impugnarent certam conclusionem in præcedentibus insinuatam, de obligatione donatarii universalis ad onera, & debita donatoris tanquam per speciem hæredis; Dicebant tamen, id rectè pro-

cedere in ordine ad exercitium actionis personæ, ac directæ abque necessitate adhibendi circuitum actionis revocatoriæ juxta receptam praxim *disc. præc.* insinuatam, quoad debita, & onera de tempore donationis jam contracta, secus autem quoad ea, quæ postmodum contracta essent, quoniam quod directè prohibuit, non est indirectè concedendum, ne alias diceretur lex imposita potius verbis, quam rebus; Quæmadmodum enim donator perfectam donationem inter vivos revocare, vel minuire non potest, ita neque alienare, vel obligare bona donata, ubi præsertim agatur de ipsis bonis sub donatione cadentibus, cum sola quaestio sit, quoties agatur de donatione quantitatis, an scilicet donatarius tanquam creditor ex causa lucrativa possidendus veniat, quod etiam casu ubi ratio fraudis non urgeat, magis recepta hodie videtur opinio ipsi donatario favorabilis, ut firmatur *dec. 262. par. 11. rec. cum ibi deducitur*, & in sua materia *sub tit. de credito*, sed quoties agitur de donatario bonorum, nulla desuper cadit difficultas.

Scribens ego pro Burghefio, dicebam præmissa esse vera in casibus suis, fallaciam verò consistere in applicatione ad casum, de quo agebatur, ideòque ad æquivoca tollenda, ad veritatem distinguendum esse quod; Aut agitur de donatione particulari aliquorum bonorum, quæ ad speciem deducta sunt, & tunc planum est donatorem non posse alienare, nec hypotecare, vel alias jure donatario perfectè quaestum restringere, vel minuire, nisi aliqua concurrat iusta causa, ob quam etiam ad donatarii majorem utilitatem, id admittendum veniat juxta casum, de quo *sub tit. de fideicom. disc. 139.* cum firma remanente donatione, (quæ nempe non intrat resolutio, vel facultas revocandi, aliud donatori non concedatur nisi dumtaxat donationem declarare, vel interpretari, dummodo declaratio bona fide inita sit, ac verisimilitudinem contineat, non autem fraudem, vel affectationem, ut pluries in præcedentibus.

Aut verò agitur de donatione universalis omnium bonorum, tam præsentium, quam futurorum, quæ tamen valida præsupponenda sit, juxta eos casus, in quibus illa in jure valida reputatur. Et tunc quaestio videtur potius facta quam juris ex facti qualitate pro judicis prudenti arbitrio decidenda, an scilicet alienatio, vel obligatio, seu alter præjudicialis actus, proveniat mala fide, sive abque probabili causa, & tunc idem dicendum veniat, ut in facti contingentia pluries ego substitui jura donatarii adversus legatam, seu voluntarias confessiones debiti factas per donatorem, sive ubi de voluntario, ad imprudenti debito fideiussorio ageretur, cum similibus, cum eadem quoque militet ratio defectus potestatis non faciendi indirectè, id quod directè, prohibitum est.

Ubi verò, (ut in præsentibus) ageretur de industria donatore facta donatione universalis, pro conservandis bonis in ejus sanguine, vel familia, bona fide incumbat negotiationibus, ac industriis more diligentis patrisfamilias, ut majores faciat acquisitiones ad favorem donatarii, ita patrimonium melius impinguando. Et tunc, quia ad hunc effectum oportet habere commercii libertatem, atque juxta negotiorum opportunitatem debita contrahere, ac aliquas etiam alienationes facere, hinc proinde si casus negotiationi connaturalis præbet acturam potius, quam lucrum, unde propterea bona donata diminutionem patiuntur, rectè intrat propositio, de qua per Rotam *decis 98. numer. 5. post Merlin. de pignori. & in Urbevotana restitutionis dotis 22. Maij 1645. coram Peusingero*, quod donatarius tanquam succedens loco hæredis, ad omnia debita, & onera donatoris tenetur; Ex ea nimium probabili, & convincenti ratione, quæ à scripto, & non scripto jure derivat, quod sicuti in casu lucri, & acquisitionis, donatarius commodum reporta fiet, ita incommodo subjacere debet, juxta regulam *secundum naturam*, de qua in proposito lucri, vel acturæ in bonis fideicommissi ex negotiatione hæredis gravati habetur *sub tit. de fideicom. disc. 191.* Et in histerminis specialibus per plura fundamenta bene advertit Fontanell. *de pact. claus. 11. glof. unica n. 16. ad 39.* ubi late materiam expendit, & idem Fontanell. *dec. 209.* atque in hoc sensu, & cum hac distinctione intelligenda veniunt proxime allegatae decisiones Rotæ, cum alias eas ita simpliciter attendere periculosum sit.

Clarius verò ac extra dubium in hac facti specie, quoniam non agebatur de bonis extantibus de tempore donationis, sed de censu post illam quaesito, unde propterea iniquitas est, quod donatarius approbare vellet factum donatoris post donationem in iis, quæ solum commodum concernunt,

cernant, atque obtinere futuras acquisitiones, illud verò improbare in damosis contra dictam regulam *secundum naturam*; Ac etiam quia esset species locupletationis de alieno, nimiumque lata via aperiret fraudibus, & collusionibus, quod scilicet negotiatoribus hujusmodi donationes finis, vel fratribus facere possent, deindeque negotiationibus aleam continuare sub sola certitudine lucri abque timore damni, quoniam si fierent lucrosæ acquisitiones, essent propriæ, & caderent sub donatione, si verò contingeret jactura, esset creditorum, quod scripti, ac naturalis juris principis, ac rationi repugnat.

Ideoque dicendum est, quod facta hujusmodi donatione de præsentibus, & futuris, implicita adesse dicatur reservatio administrationis patrimonii donati ipsi donatori, & consequenter, quod ipsum patrimonium donatum, commodum lucri, ac incommodi damni, seu jacturæ pari-formiter subjacere debeat, juxta eosdem terminos negotiationis factæ per hæredem gravatum ex deductis *d. disc. 191. de fideicommissis*.

Non negabant scribentes in contrarium veritatem dictæ theoreticæ in abstracto, cum revera ex scripto, & non scripto jure incontrovertibilis videatur; Dicebant tamen e converso, fallaciam quoque esse in applicatione, ex eo quod ageretur de debito alieno, pro quibus ipse donator fidejusserat; Verum nimis plana erat solutio ex solo facto, in quo bene constabat ipsum donatorem plures aliàs præambulas habere negotiationes, ac alterius seu afficit, præsertim impressionis cameræ, ac altaris Oppidi, vel Castri cum eodem locatore, ita honestatis, ac melioris negotiationis causam iniisse contractum sub nomine sororis, qui sui negotii juvenes, ac etiam conjuncti erant, sub ejus tamen auctoritate, ut frequens est negotiorum usus, ideòque in effectu proprium negotium erat, attendendo magis veritatem, quam formalitatem verborum, ex regula, *plus valere quod agitur* etc. ut sapè in sua materia *sub tit. de credito*, ideòque cum iustitiæ fundamentum executionis ulterioris progressus demandatus fuit nisi solutio debiti sequuta sit.

ROMANA DONATIONIS PRO MAURITIO DE ASTE CUM FRATRIBUS DE SOJERS.

Causa disputata coram A. C. postea concordata.

Donatio facta patri, & filiis, an censetur ordine simultaneo, vel successivo; & an patre retrodonante, jus competat filiis ipso vivente adversus donatorem.

SUMMARIUM.

- 1 Adhæres.
2 De distinctione inter donationem factam ab ascendente, vel extraneo patri, & filiis, an ordine simultaneo, vel successivo.
3 Intelligitur in dubio, secus ubi constat de diversa voluntate etiam præsumptiva.
4 Expendantur conjecturæ, ex quibus censetur ordine successivo etiam si ab extraneo.
5 An distinctio, de qua nu. 2. procedat solum in ultimis voluntariis, vel etiam in contractibus.
6 Recensetur causa exitus.

D I S C. XLVII.

Mauritius de Aste, paulò post completam minorem ætatem annorum 20. ad quam ex Statuto Urbis illa restricta est, per mortem patris sui juris effectus, juxta consuetas adolescentiæ imprudentias, Guilielmo Sojers Germaniæ inferioris Viro qualificatæ nobilitatis, qui ob Catholicam fidem, bonis patrimonialibus spoliatus, Urbe cum numerosa familia non multum affluenter vivebat, donationem fecit pro se, ejusque filiis, & descendentibus in infinitum scit. 10. m. solvendorum post ipsius donatoris mortem, Interim verò ejus vita durante annuorum scutorum 300. Verum paulò post penitens, donationem prædictam revocavit, habitaque de hoc noticia, Guilielmus prædictus ejus ingentem nobilitatem respondendo, inexplicabili quidem morum, ac vitæ ingenuitate præditus, dictæ revocationi adhaesit, culicumque juri ex donatione quaesito retrocedendo, ejus autem filii jam majores, patre adhuc

Card. de Luca Lib. VII.

vivente, ac invito, ex persona propria pro dictæ annuæ præstationis assequutione, judicium instituerunt contra donatorem coram A. C. Assumptaque desuper disputatione, illa restringebatur ad punctum, an filii prædicti vocati essent ordine simultaneo, vel successivo, quoniam posito quod vocati essent ordine successivo, casus eorum vocationis adhuc non advenerat, ideòque nullam actionem contra donatorem exercere poterant.

Super hoc igitur assumpta disputatione; Scribentes pro actoribus, totam vim constituebant in magis communiter recepta distinctione, quod Aut agitur de dispositione ascendentis cum descendentibus cum quibus urget, ultra charitatem, necessitas, & censetur ordine successivo, Aut de dispositione transversalis, vel extraneæ, in quo sola ratio charitatis militet, & secus *Jas. in l. gællus §. quidam ratio n. 24. & seq. ff. de lib. & postb. ibidem cæteri plene congesti per Mantice. de conjectur. lib. 4. tit. 9. n. 17. cum seq. Rot. decis. 574. n. 2. & seq. p. 4. recent. & dec. 424. num. 14. & seq. p. 4. recent. rejecta contraria sententia Bart. ibidem volentis, ut etiam isto secundo casu vocatio ordine successivo censenda sit.*

Pro donatore reo convento scribens, non impugnabam distinctionem, utpote magis communiter in foro receptam præsertim in Rota, & Curia; Dicebant tamen, eam procedere in dubio, secus autem ubi ex adminiculis, vel conjecturis constat de diversa voluntate, quæ semper attendenda est. *Cas. de Grass. dec. 2. sub n. 3. de resam. Bellon. de jur. accresc. cap. 5. quest. 26. num. 227. admittitur d. decis. 574. p. 4. rec. n. 6. & seq. d. dec. 424. p. 9. n. 14. & seq. ad quem effectum plures ponderabam conjecturas.*

Primo quia in eodem instrumento expressè dicitur, ut decedente Guilielmo succedant filii, quam dicebam non esse conjecturam, sed probationem claram; Et licet responderetur ista verba contineri in donatione foris principalis (cut. 10. m. Replicabam tamen, quod cum agatur de una eademque dispositione, hinc proinde una pars declarat alteram, præsertim quia non erat circa diversa, cum annua præstatio per donatorem viventem promissa videtur loco fructuum, quos dicta foris principalis produceret, nisi solutio ad mortem dilata esset.

Secundò quia dicebatur dictam annuam præstationem scit. 300. donari, ut dictus Guilielmus honorificatus, se suamque familiam sustentare possent, igitur principaliter dispositio directa erat ad personam patris, qui integrum redditum habere deberet, non autem ut sequeretur inconvenientis verisimili voluntati donatoris, & acquirerent contrarium, ut idem redditus in pluries portiones divideretur, quot erant plures filii.

Tertiò quia tenor donationis, aliæque circumstantiæ ostendebant, quod totum gestum erat contemplatione ipsius patris, qui dictæ donationis causa fuerat, Mantice loco citato n. 23. *Peregr. de fideic. art. 17. n. 28.*

Quartò omnium clarior, (& quod relictendo ad veritatem, istam talem esse ostendebat,) quod non solum vocati erant filii, sed nepotes, pronepotes, & descendentes in infinitum, cum tunc impossibile sit dare vocationem simultaneam, Mantice ubi supra n. 26. *Fusar. q. 266. num. 46. plenè Surd. decis. 346. num. 14. & seq. decis. 127. nu. fin. p. 6. rec. decis. 97. nu. 10. & seq. p. 4.* Licet enim hæc ultima decisio revocata sit per dictam posteriorem *decis. 574. eadem p. 4.* at tamen difficultas cadit quodam filii primi gradus solum vocati sunt, quasi quod intelligatur de jam natis, & cognitis tantum, admittendo contrarium, ubi donatarius sentisset de nascituris, & fortius ubi de gradibus ulterioribus.

Alii pro hac eadem parte scribentes, satis insitebant in eo, quod distinctio prædicta, quæ hodie pro regula constituitur, procedat in ultimis voluntariis, secus autem in contractibus, in quibus abque distinctione filii semper censentur vocati ordine successivo ex *Bart. in d. §. quidam ratio n. 4. & 8. Peregr. d. art. 17. n. 24. Put. dec. 4. de locat.*

Verum ego, reflectendo ad veritatem, dubitabam de congrua applicatione ad casum, Id enim rectè procedere videtur in contractibus correspondivis, in quibus, totum id quod filii, & ultiores descendentes obtinent, habere dicuntur ex providentia, vel stipulatione patris, secus autem in mere gratuita dispositione, in qua sola concedentis voluntas spectatur, cum tunc nulla differentia considerabilis videatur inter actus inter vivos, vel per ultimam voluntatem; Ideòque veritas consistere videtur in theoretica feudistiarum, super quaestione, an feudum concessum patri, & filiis, censetur concessum simultaneum, vel successivè,

F 3

de quo præsertim actum habetur actum in Romana pecunia...

Quia vero ista exceptio erat potius dilatoria, quam peremptoria...

ANNOT. AD DISC. XLVII.

Quando pater, & filii vocati dicantur ordine simultaneo...

ROMANA FIDEICOMMISSI DE CÆSIIS

PRO DOMITILLA CÆSIA CUM DUCE AQUÆPARTÆ.

Causa decisiva per Rotam pro Duce.

An secunda donatio facta ad favorem ejusdem donatarii...

SUMMARIUM.

- 1 Adhæret. Resolutions cause. 2 Legatum factum creditori non censetur animo compensandi. 3 In specie quod secunda donatio non censetur facta in compensationem...

DISC. XLVIII.

Uxtra facti seriem plenius enarratam in hac eadem causa...

diligentissimè adhibita fuerunt solemnitates ad formam juris communis...

Quamvis autem Rota, quasi per transeam in hoc puncto insistendo...

Regula enim juris est, quod ubi primus actus non est omnino absolutus...

Tum etiam quia, ubi due causæ concurrunt, una obligatoria, & necessaria...

Quæstio etenim maior cadit, ubi primus actus est jam perfectus...

Et planius ego, & alii pro hac parte feribentes diceremus quod dicta sola promissio...

Item quia, tam ista regula, ut secundus actus, quoties perfectio...

voluntatem verisimiliter suadentibus, decidenda venit, adeo ut...

Ponderatis autem simul, & ac unitim omnibus facti circumstantiis...

Primo scilicet ponderabam regulam, ut supra huic præsumptioni assistentem...

Et converso autem, ponderata in contrarium, leviori magisque vaga...

Alterum argumentum deducendum à defectu potestatis, stante quod agebatur...

Alterum argumentum deducendum à defectu potestatis, stante quod agebatur...

ANNOT. AD DISC. XLVIII. & XLIX.

Ad hanc materiam quando secundus actus censetur initus in executione...

tates perquirendi;) Dicebam quod vir, vel habentes cau-
sam ab eo, assistebant potius ipsi filiabus, (quæ tamen ita
colluere affectabant effestationem dictæ donationis)
quodque effectus quæstionis percuteret iacturam dictæ do-
natiæ.

Ad id autem probandum, ponderabam in proposito recep-
tam conclusionem, de qua cæteris relatis apud Surd.
3. consil. 232. nu. 14. Rovit. dec. 100. nu. 26. Rot. dec. 86. post
Merlin. de legitima, & in sua materia sub tit. de legitima, &
de tractationibus, ac etiam sub tit. de dote ad materiam inofficio-
sitas discursus. 156. ut bona per parentem donata, seu alias
trulo lucrativo distracta, habeantur pro extantibus, ad ef-
fectum impingandi a sem, ac detrahendi legitimum ex reli-
quis bonis non donatis, quatenus sufficiant, ac non sint
de deterioribus, in subsidium vero his non sufficientibus,
etiam ex ipsis bonis donatis, adeo ut in eo, quod importat
legitimam filiorum, donatio pro infecta habenda sit.

Cumque in parente binubo constitute lucrum secundo
con ugi, lex ita inducat in filios primi matrimonii quandam
necessariam successione, ad mensuram eius, quod lucrum
prædictum importare debet, hinc proinde, ita implicite
9. aucta videtur filiorum legitima, ad instar illius necessariæ
successionis filiorum in dote, quam in plerisque partibus
statutum induxit iuxta decisiones 828. & 853. Merlini, Ro-
jas dec. 159. cum aliis in Neapolitana, & Bivuntina, & in
Archevatesana sub tit. de dote disc. 104. cum duob. seq. quod scilicet
ita totum id, quod necessaria successio importat, legiti-
mitæ naturam assumere videatur, ut in his terminis ma-
joribus, ac necessariæ portionis in bonis parentis binubi ex
C. Arende consil. 468. n. 3. lib. 2. & aliis habetur apud Hodier.
in l. hac edictali q. 22. n. 8. & per tot.

Et consequenter quod per actum merè voluntarium, &
gratuitum, non poterit mulier præjudicare viro in lucro,
tanquam debito necessario, ac irrevocabili, ut potè corre-
spondit, & oneroso magis, quam lucrativo ex deductis per
10. Eugen. consil. 76. n. 75. lib. 2. Surd. dicto consil. 572. n. 71. & seq.
Manz. consil. 36. nu. 9. cum aliis de quibus supra, in quibus
filiis, quibus ita parens binubus per secundas nuptias, ac
lucrum secundo conjugii constitutum auxisse videtur legiti-
mitam alias de jure minore, ita sibi adiungendo eam liber-
tatem, quam alias habebat de eius bonis etiam ex liberali-
tate disponendi, & sic quod donatio prædicta remaneret
non operativa.

Neque obstat videbatur, quod à titulo dotis donatio co-
lorata esset; Iste siquidem titulus in mulieribus majoribus
operativus est circa solemnitates statutaris alias in contra-
11. ctibus mulierum requisitas, ut in dote non requirantur,
quævis ex liberalitate, & causa voluntaria dispositio se-
quatur; In reliquis autem, si verè sit voluntaria, & ex li-
beralitate, ut in præsentis, dum puella habebat patrem, seu
patris bona, ac etiam matrem, ex quibus prius dotanda
erat, quam obligatio aviæ maternæ intraret, neglecta ver-
borum formalitate, atreque substantia veritatis, actus
puram donationem lucrativam redolere dicitur, potissimè
dum factus erat cum ipsa puella pro futuris nuptiis, adeo ut
non intraret illa consideratio causæ onerosæ, quæ viget in
viro luxuæ eam distinctionem causæ onerosæ, & lucrativæ
12. in viro, ac mulier respectivè, de qua pluries in sua mate-
ria sub tit. de dote, præsertim disc. 156. & 157. Ipsaque facti
qualitas clarè comprobabat istam fuisse affectatam cautela
lucram supplantandi secundum virum in lucro ex statutaris,
& conventionali lege debito.

Quamvis autem in ista causa, ex dicta circumstantia,
ageretur de dispositione ex causa lucrativa, casus pro meo
iudicio videretur planus, dum ita consultum remanet filiis,
atque summi effectum sortitur æqualitas desiderata per di-
ctum textum in l. hac edictali, absque eo quod præjudicaretur
viro in lucro, nisi in aliqua diminutione iuxta calculum,
de quo d. disc. 120. & seq. de dote, quod non provenit
13. à voluntate, vel factu mulieris, sed à legis dispositione,
quam ipse vir, contrahendo cum muliere binuba filios ha-
bentes, scire poterit, vel debuit ab initio, adeo ut illud mi-
nus in conventionem deductum diceretur.

Attamen istius disputationis occasione cogitabam ad cau-
sam diversam, in quo mulier, ex eius indigentis, vel alia
iusta causa, citrà fraudem, vel collusionem aliquam, bona
14. in parte distraxisset, vel hypothecasset, ex causa verè one-
rosa, & respectiva, adeo ut detractio lucrum conjugii de-
bito, præsertim ex conventionem, quæ affectata, vel frau-
dolenta dici non valeat, ut potè à jure municipalis scripto,
vel non scripto, sive à communi usu corroborata, ac etiam
detractis debitis, parum, vel nihil pro filiis superesset, un-

dè propterea dicta inæqualitas resultaret; Quia verò adhuc
occafio non præbuit hunc punctum disputare, hinc proinde
maturum iudicium desuper efformare non potuit, forsan
de illo haberi poterit in sua propria materia sub tit. de successio-
nibus.

Credebam tamen isto casu cessare dictæ legis dispositio-
nem, arque filios locum remanere se conquerendi de paren-
tis imprudentia, non autem quod exinde lucrum conjugii,
præsertim reciprocum, & correlative cum bona fide ad
juris municipalis, vel communis usus præscriptum, tolli
debeat, quoniam dispositio dicti textus in l. hac edictali in-
15. ducta est ad coercendam parentibus binubi libertatem, seu
facultatem, nè ob amorem erga secundum conjugem, filios
primi patrimonii excoarere possit, ideoque intelligenda ve-
nit in dispositionibus voluntariis, quibus ratio textus con-
gruat, non autem in debito necessario, ut ita distinguendo
inter necessariam, & voluntariam dispositionem haberetur in
dicta dec. 169. Dunozei senioris repet. dec. 15. p. 4. rec. tom.
2. m. 10. cum seq. quoniam punctus est in dicta fraus præ-
sumptione, quæ contraria veritate, vel fortiori præsum-
ptione tollitur iuxta eam distinctionem, de qua in dicta sua
materia sub tit. de dote pluries, præsertim discursus. 104. in ea
quæstione, an mulier, quæ primas nuptias contraxerat in
Civitate Neapolis more Nobilium, alias iuxta consuetudi-
nes Capuanæ, & Nidi, secundas nuptias contrahere pos-
set more Magnatum, per quem jus filiorum primi matri-
monii deterius efficitur, ut scilicet attendatur iusta causa à
communi usu regulata, quæ fraudem, ac malam fidem ex-
cludat, cum similibus.

Ità etiam docere præxi frequentius contingente in casu
converso lucrum debiti mulieris in bonis viri, quoniam in dies
videmus, ut decedentibus viris oberatis, filii primi matri-
monii maternam dotem in concursu creditorum detraherent;
deinde verò iuxta anterioris ordinem concurrat secunda
uxor, quæ tam pro dote, quam pro lucro anterioritatem
sumit à die constitutionis dotis, (cum locum differentia pri-
vilegiatæ potioritatis inter dotem, & lucrum) reliquum
absorbatur per alios creditores, adeo ut filii primi matri-
monii nihil remaneant, & tamen non per hoc mulieris lu-
crum cessat, vel eis communicatur, ita in casu converso,
cum, ubi præsertim lucrum est reciprocum, vir, & mul-
16. ier in hoc proposito videatur correlativi; Præsertim quia
iuxta opinionem hodiè magis communem, & receptam,
(quequid antiquiores dubitaverint) leges loquentes de se-
cundis nuptiis, sed de penis secundum nubentium, quæ-
vis in verbis de muliere loquantur, viro etiam congruunt,
ut sub tit. de success. ubi de materia secundarum nuptiarum,
17. ideoque censentur in proposito correlativi, unde propterea
rationis identitas intrat; Dummodo tamen bona fides exa-
beret, nè alias ad supplantandum filios primi matrimonii
parens binubus in alienationibus, vel obligationibus cau-
sam supponat correlative, quæ quoad tertium, ejus
favore alienatio, vel obligatio facta est, verè sit talis, in ef-
fectu autem ad secundum conjugem commodum, ac utilita-
tem tendat, ut quandoque præcitari vidi, ideoque pro facti
qualitate cautè decidenda videtur.

Atque proposita causa coram eodem Bourlemont. 20. Feb.
18. 1671. iuxta præmissa ad favorem hujus partis produit reso-
lutio.

ANNOT. ADDISC. L.

Ad materiam text. in l. hac edictali Cod. de secund. nupt.
videri poterunt ea quæ habentur sub tit. de dote disc.
19. & seq. & 110. & sub tit. de success. disc. 32. & seq.

SABINEN. DONATIONIS
PRO ADRIANO GENTILE.

Responsum pro veritate.

De evictione in donatione præstanda, Et an dona-
tarius, qui ad annum præstationem erga dona-
torem se obligavit, ejus solutionem denegare va-
leat ob molestias, vel imminetentem evictionem in
bonis donatis.

SUMMARIUM.

- 1. F. Alii series.
2. De materia evictionis præstandæ in donatione, vel
dote.

NEAPOLITANA HEREDITATIS
PRO CONGREGATIONE LUCENSI

Responsum pro veritate.

De eadem materia evictionis præstandæ in dona-
tione; Et in specie donans bona cum assertio-
ne ejus fructus, vel redditus, an ad aliquid te-
neatur, si iste minuatur.

SUMMARIUM.

- 1. F. Alii series.
2. Quod in donatione incipiente à traditione non præ-
stetur evictio.
3. Declaratur non procedere si donatio sit causativa, &
onerosa.
4. Diminutio reddituum donatorum, vel cessorum cedat
damno donataris.
5. De locis montium, & juris cum Principe, eorumque
valore intrinseco, & extrinseco.
6. Diminutio fructuum locorum montium est cessonarii non
cedentis.
7. Si redditus assignati pro fundatione Ecclesie diminuuntur,
fundator non tenetur supplere.
8. Idem de legato redimibili.
9. Quando suppletionis obligatio intrat.

DISC. LII.

Juxta facti seriem latius recentiam sub tit. de fideicom-
missis disc. 154. Felix Maria Ursina Gravina Ducissa
donavit primo loco Congregationi Lucensi, domos, vineas,
& alia bona sub narrativa annui redditus ducentorum
600. sub lege, ut in domibus edificari deberet Conventus,
vel Domus pro eisdem Religiosis; Deinde vero aliam fecit
donationem, ac demum eandem Congregationem hære-
dem instituit sub diversis legibus, & oneribus ad rem non
facientibus; Cum autem bona, ut supra primo loco dona-
ta, tum ob erogationem domorum, & partis vinearum in
constructione Conventus, & officinarum, tum etiam ob
generales diminutiones non tanti, sed longè minus tracta-
rent; Hinc pro veritate, à me, & aliis consilium expecti-
tum fuit, an hæreditas, quæ ab eadem Congregatione ad-
ministrabatur, teneatur de dicto reddito deficientie evic-
tionem præstare, vel dictum redditum supplere.

Concordes omnes desuper consulti, sumus in negativa,
quævis in ratione aliqua diversitas primo discursu adesset;
Aliqui enim opinabantur, ita respondendum fore ex regula
generali, quod in donatione, quæ incipit à traditione,
non autem à promissione non præstatur evictio, nisi pro-
mittatur, iuxta auctoritates deductas disc. præced. & in
proximè infra allegandis decisionibus; Verum id non vide-
batur tutum, quoniam non agebatur de pura, & simplici
merè lucrativa donatione, sed potius causativa, vel corre-
spondit, & onerosa, pro fundatione Conventus per quam
Religiose obligat ad illius sustentationem, iuxta deducta
supra disc. 14. & in aliis ibi proximis; Adeo ut si detegatur,
quod bona ad hunc effectum non essent propria donatoris,
1. probabilius videretur evictionem intrare, nisi expresse pro-
testatus esset ea dare talia qualia, & prout sibi competunt
ut disc. seqq. secus autem si dedisset tanquam sua, cum iste
non sit actus merè lucrativus.

Ille verò iudicata fuit ratio solidior, quod diminutio red-
dituum cõstigit in aliquibus ex natura rei, sed factio proprio
donataris, quia nempe in domibus, ac in parte soli vineæ,
seu aliorum bonorum, fundata fuit ipsa Domus Regularis,
cum viridario, aliisque officinis, & consequenter intrare
non poterant termini evictionis ex duplici causa cessantis;
In aliis verò bonis, vel juris bonis, constitentibus in
fiscalibus, seu aliis juris cum Principe, notabilis dimину-
tio fructuum, seu reddituum provenit ex illius Regni cala-
mitatibus ob revolutiones populares, & pestem, quod ne-
que importat evictionem, sed preemptionem accidentalem,
seu casualem in parte, tanquam per speciem casus fortuiti,
qui cedere debet damno donataris tanquam domini, cuius
etiam fuisset augmentum, quod sequi potuisset, ut in ter-
minis fortioribus diminutionis fixæ, ac perpetuæ hujusmo-
di reddituum sequatur ex provisione Principis, vel alterius
Magistratus, cæteris relatis habetur apud Tondut. quest.
4. civit. 49. n. 53. & Olea de cess. jur. tit. 7. q. 3. n. 31. cum seqq. &
sub tit. de credito pluries occasione agendi de frequentibus
quæstionibus inter cedentem, & cessonarium, an bona,

vel jure assignata sint pro solvendo, vel pro soluto, & cujus nam fit commodum, vel incommo- dum, augmenti, vel decrementi.

Multo magis quia in hac facti specie diminutio non erat fixa, & perpetua, utpote sequuta ex facto Superioris, neque substantia juri in aliquo immutata erat, cum de jure idem antiquus reddicus competere, sed diminutio sequuta esset de facto ob diminuta emolumenta bellarum, & juri per Principem assignatorum, juxta ea, quae pluries habentur sub tit. de Regal. ad materiam locorum montium, quae idem important, ac hujusmodi fiscalia, sed jura cum Principe, vel Republica, ex ibidem pluries insinuatis, quod scilicet duplex habent pretium, seu valorem. Unum intrinsicum, & naturalem, quod est (e.g.) scutor. 100. pro quolibet loco fructante quatuor, vel plus pro centenario. Alterum vero extrinsecum ratione incrementi, vel decrementi, propter bonitatem, seu diminutionem reddituum; sive magis, vel minus promptam illorum exactionem; Unde videmus, quod aliqua loca montium, quae communi opinione bona reputantur, sunt in commercio pro notabili majori pretio, quam importet suum intrinsicum, & naturale scutor. 100. pro quolibet, cum periculo amittendi istud majus pretium extrinsecum in casu extractionis, vel suppressionis, & e converso ob deteriorata bona assignata pro dote montis, plerique adfunt quae vix venduntur pro medietate, vel tertia parte ejus, quod importat pretium intrinsecum.

Unde propterea si quis donaret pro fundatione Ecclesie, vel conventus, aut aliam, centum loca montium, cum narrativa quod fructarent futa 490. ut verè tunc fructabant, si deinde post jam perfectam, & exequutam donationem coningeret accidere, didi redditus diminutio ob diminutionem dotis, & assignamentorum, vel ob reductionem factam a Principe, vel alio Magistratu, utque dicendum non est donatorem teneri supplere, quoties donationis substantia consistit in ipsis bonis, vel juribus fructiferis in sorte, eorum autem fructuum quantitas demonstrative narrata est. Ut in specialibus terminis assignationis Monasterii, vel pii loci firmatur per Rotam in Romana praetensi Supplementi dotis 5. Decembris 1653. coram Cero, ubi allegatur Lotter. de benef. lib. 2. q. 14. num. 12. Penia decif. 616. nu. 9. decif. 230. n. 5. p. 1. & dec. 56. nu. 3. p. 2. diversif. & decif. 520. n. 2. par. 2. recent. agentes in terminis dotis, quam patronus assignat Ecclesiae, vel beneficio.

Et de legato, vel alia dispositione pro dote Ecclesie in anno redditu redimibili pro certa quantitate in sorte, quod si ex illius fortis restitute investimento tantus fructus percipi non possit, non per hoc intrat obligatio supplendi, firmatur per Rotam in Camerino. dotis Eccles. 22. Jun. 1650. & 9. Martii 1653. coram Melio, quarum prima est impressa decif. 62. par. 11. rec. Difficultas enim caderet, quando donatio substantiata esset in ipso annuo redditu, quem manuteneat donator promississet, bona vero, se jura in sorte principali, ex quibus redditus percipiendus esset, starent potius demonstrative, juxta ea quae pluries habentur sub tit. de legatis, ad hanc materiam, an certa assignatio pro annua praestatione, stet demonstrative, vel taxative, & de quo etiam alibi pluries.

Super plerisque aliis consulti fuimus extra hanc donationis materiam; Et quae in facto potius quam in jure consistebant, sive super interpretatione voluntatis donatoris, ac testatitius respicte.

BONONIEN. PRÆTENSÆ EVICTIONIS PRO COM. JOANNE DE PEPULIS CUM ÆMILIO AZZOGUIDO.

Causa decisus per Rotam pro Joanne.

De eadem materia evictionis praestanda in donatione remuneratoria, & premium servitii, seu aliorum meritorum; Et quid ubi donator declaravit velle solum teneri de dato ex facto suo.

S U M M A R I U M.

- 1 **F**acti series.
- 2 Resolutiones causae.
- 3 In claris, & expressis non cadunt quaestiones juris.
- 4 In venditione non praestatur evictio si venditor voluit teneri, vel eam restituit ad datum, & factum suum.
- 5 Neque si emptor esset conscius juris alieni.

- 6 Quando conclusio, de qua num. 4. non procedat si non adest scientia.
- 7 De materia donationis remuneratoria quando verè sit talis, & in ea cadat evictio.
- 8 De stylo Curiae non assumendi quaestiones superfluas.
- 9 Quando cadat dubitatio in conclusione, de qua num. 4.
- 10 Opera non habent certum pretium, idcirco in eis non cadit lesio.
- 11 Resolutio causae.

D I S C. LIII.

ÆMilio ejus operas praestanti, in litibus, aliisque negotiis Comitibus Joannis de Pepulis, cum accessu etiam, ac mora per aliquod tempus in Urbe, sub mensura moderata mercede, idem Joannes in praemium, ac remunerationem diligentis servitii, donationem fecit cujusdam domus de proximo recuperatae ex effectibus debitoris, & super qua molestias jam ab aliis habere coeperat de tempore donationis, in qua evictionem promisit pro dato, & facto suo tantum, & non alias; Cumque ex dictis jam in ceptis molestiis à molestiantibus prosequitis contra donatarium, evictio sequuta esset; Hinc inde donatoris evictionis iudicium instituit contra donatorem, ac sententiam favorabilem in partibus obtinuit, confirmatam in Curia à Prælo Judge commissario, præviam revocatione intermedie absolutoriae per donatorem obtentae ab A. C. unde propterea deducta fuit per appellationem causa in Rota cor. Alberga- to, datumque dubium, an constaret de duabus conformibus, ad formam Statuti Bononiensis exequenda venirent, favore Joannis resolutum, ut infra in fine.

Cum autem disputatio adhuc sequuta non esset dum hęc scriberem, unde propterea inspicere non poterunt fundamenta, quibus inniteretur donatarii praetensio super hujusmodi evictionis praestatione, hinc proinde maturum iudicium pro veritate tunc desuper efformari non potuit; Ex juribus tamen exhibitis per donatorem, pro quo scripti: super futura hujus dubii dispositione, in sensu etiam veritatis, mihi improbabili videbatur hæc donatarii praetensio, nisi alia ignota accederet facti circumstantiae, ex quibus, ut frequenter contingit, jus variatur, atque exitus comprobavit.

Advertebam etenim non intrare quaestiones juris, ubi habemus partium voluntatem claram, & questio remove- tur ex facto ad regulam vulgaris textus in l. lile aut ille, ff. de legatis tertio, etiam in contradicibus late exornatam per Rotam dec. 44. n. 14. par. 11. rec. Cum enim donator expressè dixisset velle solum teneri de evictione, de dato, & facto suo tantum, & non alias, atque credere solum jura talia qualia sibi competunt, & hinc proinde non oportebat assumere quaestiones evictionis praestanda in donatione, quae non fit pure, & merè gratuita, sed remuneratoria, quoniam, ubi etiam ageretur de vero, ac formali contractu emptioris, ac venditionis praetio mediante, adhuc tamen si venditor protestatus est vendere jura talia qualia sibi competunt, atque promissionem evictionis ad factum proprium restrinxit, non solum non tenetur de evictione, sed juxta magis communem, ac receptam sententiam, praesertim in Rota, & Curia, neque ad restitutionem pretii, cui ex æquitate plerique credunt locum esse etiam in casibus, in quibus evictio praestanda non est, ut ceteris relatis, ibi de facili videntur disfirmat per Rot. apud Mantia. dec. 109. n. 6. & 7. apud Buratt. dec. 399. in fine, & plenius dec. 453. 457. & 469. par. 9. rec. & dec. 155. n. 21. & 215. n. 14. par. 12. quae sunt editae in casu de quo sub tit. de credito, ubi de datione in solum facta per debitore creditori de pluribus nominibus debitorum citi dicta expressio, quod dabatur talia qualia, &c. Atque ego scribens pro creditore qui cessioem acceperat, dictarumque decisionum revocationem obtinuit, admitembam veritatem dictae conclusionis, negabam tamen ejus applicationem ad factum, ex cuius circumstantiis recessus prodiit, & habetur etiam de eadem conclusione sub tit. de feudis disc. 32.

Clarè verò, ubi, ut in praesenti, per aliquas attestaciones justificabatur, atque erat nimum verisimile, dum idem Æmilio donataris in negotiis forensibus magis quam aliis, ejus operam praestiterat, quod donataris, vel emptor esset conscius juris alieni, ex quo evictio sequuta est, juxta dispositionem textus in l. si fundum sciens, Cod. de evict. cum ibi notatis, de quibus in eisdem supra allegatis decisionibus p. 9. & 12. rec. cum utraque circumstantia concurrente casus nullam recipere videatur dubitationem, cadentem ubi prima tantum accederet, cedendi scilicet jura talia qualia, ac promittendi evictionem pro solo facto proprio, deficiat autem altera scientia in emptore, quae tamen concurrat ven-

venditore, quo casu intrare potest actio de dolo, ex iis quae habentur in sua materia sub tit. de emptione, & venditione; Et cujus doli ratio, etiam in donatione evictionem praestandam esse habetur apud Fontanell. & alias allegatos supra disc. 51. & sub tit. de dote disc. 157.

Hinc proinde nulla suberat necessitas assumendi quaestionem, super qua DD. nimum le involvere videntur, an de jure praestanda sit evictio in donatione remuneratoria, & quod hanc ad istum effectum, verè, ac proprie, dicatur talis, quod plures habet inspectiones; Primò scilicet, an merita deducatur ad speciem, vel sufficiat eorum assertio generica; Secundo, quatenus ad speciem deducantur, an probata dicantur pro assertione donatoris, vel debeant justificari aliunde, quod pendet ab eo, an agatur inter prohibitos, necne; Et tertio, an merita debeant esse talia, quod in ratione justitiae distributive obligent ad remunerationem, pro qua actio, vel iudicis officium competere valeat, vel sufficiat naturalis obligatio antidotalis; Et an dentur hæc merita in filio erga patrem, in milite erga Ducem, vel Principem, vel in famulo salariato erga dominum, cum similibus, qui causam beneficentiae praestant ex debito, ex iis quae super hac materia insinuantur in Romana donationis sub tit. de feudis disc. 94. occasione agendi de articulo, an Bulla Baronum locum habeat in donatione remuneratoria, quam Baro famulo benemerenti faciat; Nimum enim commendabilis Curiae stylus in casuum defensionibus prohibet illam evagationem, quae adeo contrarietas est stylo extero, assumendi scilicet extra causam necessitatem illas juris quaestiones, quae sublatæ remanent ex solo facto.

Ubi verò dictum factum non assisteret favore donatoris, atque ageretur de vera donatione remuneratoria, in qua evictio de jure praestanda esset, adhuc tamen dubitatio cadere posset, ubi ageretur de cessione, seu alio contractu pro certa summa, cum tunc ex regula, quod à pretii quantitate desumitur voluntas Partium, & quid in contractu deducitur sit, praetendat, quod si valor re respondet quantitati, tunc non praestando evictionem, esset locupletari de alieno, unde propterea æquitas resistere (quo tamen adhuc cessat, ubi ita conventum est, ut supra); Sed etiam ubi agitur de donatione facta in remunerationem servitiorum, ac meritorum resulantium ab operibus personalibus praestitis cum aliqua majori diligentia, & ultra id quod conventum salarium importat, cum tunc propria, ac præcisè æstimatio, seu pretium non detur, unde propterea habemus, quod in locatione operarum non intrat lesio, neque dispositio text. in l. 2. C. de relict. vend. ut apud Gratian. dist. 185. nu. 8. non sequitur. Buratt. decif. 234. num. fin. & 468. num. 6. Atque rectè dici potest, quod donator congruum premium judicaverit donare hanc aliam, eo modo quo donaretur jactis rebus, cum similibus, alias forte non donaturus, cum præcisè necessitas non impelleret; Et fortius quia dabatur attestaciones potissimum cujusdam Religiosi mediatoris nullum habentis proprium interesse; quod hæc fuisse intentio donatoris cognita etiam donatario; Et juxta præmissa favore donatoris prodiit resolutio sub die 16. Februar. 1671. coram eodem Alberga to.

NEAPOLITANA SEU BAREN. DONATIONIS.

Responsum pro veritate, suppressis nominibus.

An in donatione cum oneribus ad vitam donatoris detur lesio ex parte donatarii, & quomodo vita hominis æstimanda sit.

S U M M A R I U M.

- 1 **F**acti series.
- 2 De computatione vitæ hominis ad text. in l. hæreditatum, ff. ad l. falcid.
- 3 Quando lesio dicatur enormissima.
- 4 In casu enormissimæ veniunt fructus.
- 5 An donataris teneatur ultra emolumentum donationis remissio.
- 6 Quomodo debeant se gerere Consulentes.
- 7 Pro regulanda lesione attenditur tempus contractus.
- 8 An calamitosi non attenduntur in valore.
- 9 Ubi contractus reducitur ad injustitiam, debet admitti redemptio.
- 10 Sed hoc respicit tempus futurum.
- 11 Non est evagandum ultra punctum præcisum.
- 12 De auctoritatibus firmiter contrarium ejus, de quo n. 2.

De rationibus idem probantibus, & quomodo vita æstimari debeat.

- 14 Quod ætas sit regula fallax.
- 15 Bona æstimantur à fructibus 20. annorum.
- 16 Quomodo vendi soleant commoditates pensionum, seu vendi loca montium vincitata.
- 17 Quod etiam in vitalitatis detur lesio, sed quomodo hæc regulanda sit.
- 18 De modo regulandi lesionem in transactione.
- 19 Et de modo regulandi usuram ob majus pretium vitæ convenum pro tempore futuro.

D I S C. LIV.

Facta per notabilem virum equestris ordinis donatione quorundam bonorum ejus conjuncto ordinis magnitudinis, sub onere notabilis praestationis annuae partim in pecunia, & partim in speciebus, seu victualibus ad ipsius donatarii vitam; Cum notoria, divini, ac etiam humani intestini belli calamitates Regni Neapolitani, redditus, ac emolumenta bonorum notabiliter minuisset; Hinc ex isto accidenti, atque ex diuturna donatoris vita, quae ob prosperam validitatem, notabiliter tempore curatura credebatur, donationem nimum damnosam, ac præjudicialem, donataris expertus, ex plurium Sapientum illarum partium consilio prætereire coepit, ob enormissimam lesionem, non solum contractum rescindere, sed etiam ob nullitatem ab enormissima resultantem, repetere totum id, quod excessivè solum esset ultra ipsorum bonorum fructus, atque ita bona absorbere, imò creditor in summa notabili remanere; Quare ex parte donatarii, cum munitatis consiliis desuper editis, pro veritate (suppressis nominibus) meum vorum expectum fuit.

Præsupponebant autem dicti Consulentes regulam, seu computationem textus in l. hæreditatem, ff. ad falcid. super æstimatione vitæ hominis ab ejus ætate regulanda, juxta diversas computationes in dicta lege contentas, quam in proposito attendendam esse, ex originali traditione, Scilicet. in l. sua adione num. 3. C. de usur. firmant Saec. de Jur. die. lib. 2. cap. 2. num. 476. & segg. Valach. consil. 66. nu. 23. & segg. Surd. de aliment. tit. 9. quest. 11. num. 19. in fine, & num. 26. cum segg. Adden. ad Dec. decif. 176. in fine. Rot. apud Caval. decif. 387. n. 4. & dec. 7. n. 26. post Salgard. in labryris, & in aliis.

Illoque præsupposito retento, atque calculando, juxta hanc computationem quantum annua praestatio importabat, ita facta perquisitione fructuum, ac etiam valoris ipsorum bonorum donatorum in sorte, ostendere conabantur, claram adesse lesionem enormissimam, utpote longe ultra bestem; Et quo casu enormissimum dici ceteris relatis haberetur apud Fontanell. decif. 66. & seg. cum aliis deductis sub tit. de empt. & vend. disc. 27. ac in decisionibus in ea causa editis, ibique recentibus, & in aliis.

Dictaque lesione posita, quæ ratione doli praesumpti actum annullat, inferebant locum esse restitutioni ejus, quod solum erat, ex iis, quae, distinguendo inter restitutionem enormem, & enormissimam habentur circa restitutionem fructuum dicto disc. 27. & in aliis in dicta fide sub tit. de empt. & vendit.

Non agebatur autem de alio puncto, seu articulo, de quo agit Rota in Romana seu Albanen. vinea 20. Junii 1670. cor. Alberga to, (& de qua utpote adhuc pendente, habebitur hoc eodem titulo in Supplemento); An scilicet donataris cogi valeat ad adimplendum donationis onera de proprio, ultra ipsius donationis emolumentum, vel potius offerre possit supportationem penæ donatario non adimplenti à jure injunctæ, in l. 1. & 2. C. de donat. que sub modo, & in l. fin. Cod. de revoc. donat. resolutionis scilicet donationis, Et super quo articulo plura hinc inde insinuantur in d. Romana seu Albanen. vinea coram Alberga to, ut formiter tractabitur in ea causa; Quoniam ista quaestio percutit casum, in quo donator non caret donationis resolutionem, sed ejus observantiae continuationem petat, (qualis erat casus, de quo in d. Albanen.) In praesenti autem donator se promptum exhibebat dictæ resolutioni, quæ tamen donatario non sufficiebat, dum punctus erat in dicto cumulo ejus, quod plurium annorum spatia excessivè solum fuerat, quo mediante, nedum ipsa bona sibi appropriare sperabat, verum etiam creditor donatoris in summa notabili remanere.

Contrarium verò, præmissis non obstantibus, pro meo iudicio, probabilius videri respondi, consulendo, ut abstinendo ab hoc assumpto, quod inspecta personarum qualitate,

itate, aliique circumstantiis, aliquam notam inferre videbatur, libenter acceptari deberet quoddam honesta concordia temperamenti, quod supponebatur per communes conjunctos, vel benevolos jam preparatum esse; (Ad hoc autem juris professe flores pro conscientia, & congruentia ratione nimium advertere debemus, non autem exigui turpis lucri gratia de facili consilere lites, quae adeo magna damna, & inconvenientia producant, quod utinam frequenter non contingeret, ac propterea revelatio, seu visio S. Brunonis Charrusiani in Causidicis, & Professoribus non verificaretur.

Advertebam siquidem primò in facto quod aequivocabatur, procedendo cum praesenti valore fructuum, ob dictas Regni calamitates notabiliter diminutorum, cum id cognitisset post jam sequentem donationem, ideòque attendendum non veniebat pro regulanda lésione, quae metienda est de tempore contractus, non autem ex futuris accidentibus, quibus etiam augmentum restaturo Ecclesiae, ut in fortioribus terminis alienationis restaturo Ecclesiae, ac regulandi evidentem utilitatem, habetur sub tit. de alien. & contr. ad. disc. 1. & in aliis, atque est certum juris principium in omni ferè materia infirmatum praesertim sub tit. de fidelit. comm. disc. 94.

Anni siquidem accidentales belli humani, vel divini, ac alii subsquentes, in quibus etiam post cessatam calamitatem idem damnus durat, non veniunt in calculo, sed valore, ut caeteris relatis advertitur sub tit. de praesentibus disc. 11. & in decisionibus in ea causa editis, ac etiam pluries sub tit. de Regal. & sub altero de locat. & conduct. occasione agendi de materia defalcata, sed remissionis pensionis in hujusmodi annis accidentalibus, ac etiam sub tit. de benef. ad materiam valoris.

Unde propterea, quando ob hujusmodi accidentia valde notabilis fuisse fructuum diminutio, ad summum praetendi posse dicebam, ut intrarent termini textus in c. suggestionem de decim. ut scilicet in iis praesertim conventionibus, quae tractum habent successuum, quam contractus reducitur ad iniquitatem, seu magnam inaequalitatem, intrare debeat Judicis officium pro eo reducendo ad justitiam, & aequalitatem, ex deductis per Thesaur. dec. 227. Capyc. Latr. & adden. dec. 18. Rot. dec. 345. n. 7. p. 1. rec. & habetur praesertim actum sub tit. de decim. in Calaguritana decim.

Id etiam respiciebat solum moderationem oneris pro tempore futuro, quam donator non negabat; Nullatenus tamen intrare poterant termini lésionis praesertim enormissimae, producentis inter alios, dictum effectum restitutionis fructuum ratione doli, seu male fidei ob adeo magnam lésionem a lege praesumptam, cum impossibile sit, dolum, vel malam fidem regulare ab eo damno, quod casualiter contingat post contractum, qui ejus tempore spectato, justus erat.

Hinc primò cessabat necessitas agendi de altero assumpto, seu puncto juris, super modo computandi vitam, & an attendi deberet dicta computatio textus in l. hereditatum, cum dicta difficultas cessaret ex solo facto, quo non assistente, prorsus inanis, ac evagatorius labor est juris quaestiones assumeret; Quod tamen modernus abusus frequenter docet dum inaniter cum copiosissimis allegationibus, magnoque improbo labore per speciem formalis tractationis plures assumentur quaestiones, à casu controvertitae prorsus extraneae, intantum ut plurimum relinquendo ipsius causae punctum praecium, ac essentialiam, ut advertitur sub tit. de iudicis in relatione Curiae, occasione agendi de Advocatis, ac modo scribendi.

Verùm ubi de dicto juris articulo agendum esset; Dicebam contrarium omnino videri, non solum ob autoritates, quae in contrarium deduci solent, & praesertim Covarr. lib. 1. var. c. 9. n. 8. Roderic. de ann. redd. lib. 1. q. 5. n. 17. & seq. Molin. de primog. lib. 1. cap. 19. nu. 40. Grivell. dec. 25. n. 17. & seq. Rot. dec. 514. nu. 8. post Cenc. de Cens. add. ad Buratt. dec. 683. n. 14. & alii.

Sed clarius ob vivas, nimirumque convincentes rationes, per me ponderatas sub tit. de regal. disc. 30. & alibi, quod scilicet cum non omnium hominum aequalis sit complexio, ab aequalitate, neque omnium regionum, seu aerum aequalis sit conditio, hinc prorsus ineptum est, uniformem regulam desuper statuere, quoniam determinatio in singulari casibus facienda est pro complexione, seu aequalitate personarum, ac etiam pro qualitate aeris, vel regionis, cum similibus, ut occasione regulandi justum pretium in censibus vitalitatis bene advertitur per Rotam in Bonon. Salviani 25. Junii 1629. coram Virili, & in Romana Domus 3. Decembris ejus-

dem anni cor. Pirovano, & habetur per Leotard. de usur. q. 49. n. 6. & dicto disc. 30. de Regal.

Frequenter enim contingit, ut brevior justè reputetur vita juvenis, vel adolescentis male validitudinis, quam illa viri maturi, vel senis robusti, ac validi; Et quamvis deinde casus diversimodè praebet, ut nostris temporibus videmus in Urbe, praesertim in persona adeo qualificati Cardinalis Caponii, quod cum effectus juvenis (juxta frequentem contingentiam eorum, qui sunt gracilis naturae) reputatur moribundus, adeo ut rogaretur pro venditionibus Palatiorum aliorumque bonorum ad vitam, pro exiguo pretio, & tamen vixit octagenarius; Atque attestari possum de meipso, quem in adolescentia tabe penè confectum, Medici reputabant cito moriturum, ideòque etatem 25. annorum non excessivum, concorditer concludebant; Attamè id est per accidens neque exinde ad lésionem inferri potest, dum contrahens super aliena vita, eo tempore spectato, lucrum potius facere, atque alterum contrahentem circumvenire creditur.

Ponderabam ulterius ad convincendum hanc ineptiam estimandi vitam, cum dicta computatione text. in l. hereditatum, quae ad diversum finem, vel effectum ibi facta est, quod per illum textum, in pueris, vel adolescentibus praescribitur meta annorum 20. quorum cumulus in tertia parte excederet valorem bonorum in sorte principali, quoniam juxta receptam glossam in Auth. perpetua. Cod. de Sacrosanct. Eccles. estimatio bonorum regulariter facienda est à quantitate fructuum per spatium annorum 20. ut caeteris relatis habetur apud Buratt. dec. 112. & dec. 65. num. 2. Dunozet. dec. 672. num. 9. & in aliis frequentè; Unde propterea esset dare absurdum, quo nullum majus, quod si bona pleno jure, & cum perpetua translatione valerent mille, ita ad solam vitalitatem fructuonem valerent 1500. & sic in tertia parte vitari.

Ita etiam docente communi praxi, vel usu circa venditiones domorum, aliorumque bonorum ad vitam, & de qua venditionis specie habetur sub tit. de empr. & vendit. disc. 1. Frequentius verò in Urbe in cessionibus commoditatis pensionum ecclesiasticarum, quod sunt ad aliquos annos, prout inter Partes conveniri potest, quoniam ut plurimum sunt pro quinque, vel sex annis anticipatae solutis, ut in sua materia sub tit. de pensionib. Ac etiam frequens praxis docet in locis montium habitentibus vinculum fidei commissi omnino extirari, adeòque in effectum venditur sola vita possessoris, quoniam pretium, pro aetate, & qualitate possessoris circumferretur, in tertia, vel quarta, ac etiam quinta, & forsitan minori parte valoris in sorte principali, nulli autem, vel nimirum rari sunt casus in quibus tertia pars excedatur, ut advertitur sub tit. de reg. disc. 30. & 31. cum seq. & alibi.

Non negabam etenim, tam respondendo in ista causa, quam in plerisque aliis, in quibus de hoc puncto agere occasio dedit praesertim dicto disc. 30. & 31. de regal. ut etiam in hujusmodi vitalitatis contractibus dari possit circumventio, & consequenter lésio, nedum enormis, sed etiam enormissima, redolens dolum praesumptum, e modo, quo in aliis contractibus; Sed punctum esse dicebam in applicatione, sed modo regulandi lésionem, non ex dicta generali computatione text. in l. hereditat. cum id verè legaleam ineptiam continere videatur, sed ea communi estimatione regulanda à judicio proxenatarum, & perituro juxta communem usum; Ut potè in loco, atque inter personas consimilis aetatis, ac validitatis (adeò, ut non urgeat accidentalitatis ratio valoris diminutiva,) venditio ad vitam fieri solet pro quantitate octo, vel decem annuallatum; Si ex empiriis calliditate, ac venditoris fragilitate, vel suffocatione, fiat pro duabus, tribus, vel quatuor respectivè, aderit lésio enormis, vel respectivè etiam enormissima, & sic similiter pro facti qualitate, erroris potius, quam juris est quaestio, ideòque prorsus erroneum est generalem desuper statuere.

Ad quod ponderabam ea, quae habentur sub dicto tit. de empr. & vendit. d. disc. 27. & alibi in proposito regulandi lésionem in transactione non à valore bonorum in lite existentium, sed ab illo estimationis incerti, ac dubii eventus litis; Ac etiam ea, quae habentur pluries sub tit. de usur. ad materiam text. in c. in Civitate, & c. fin. de usur. super taxa incerti pretii frumenti, aliorumque victualium de futuro, ut verisimilitudo, vel inverisimilitudo totum faciat, cum similibus, istique videntur verè, ac germani hujus materiae termini, ut scilicet pro singularum casuum qualitate, & circumstantiis quaestiones decendantur.

AN-

ANNOT. AD DISC. LIV. & LV.

AN detur lésio in donatione habetur quoque pactum in hoc tit. de Donat. disc. 61. Et quomodo vita hominis estimanda sit, notatum est supra ad disc. 34.

SANCTI SEVERINI DONATIONIS AD REQUISITIONEM JO. ANDREAE TUCCI.

Responsum pro veritate.

An, & quando in donatione detur lésio: Et de invalida donatione facta per mulierem, ex eo quod remaneat indotata, si ipsa est soluta.

S U M M A R I U M.

- 1 FABI series.
2 De Constitutione Aegidiana circa solemnitates in donationibus.
3 Donatio contemplationis matrimonii, quando sit exempta à solemnitatibus.
4 De donatione inofficiosa regulanda cum terminis dotis inofficiosa.
5 De prohibita viduitate.
6 De invalido contractu, ob quem mulier remaneat indotata.
7 Procedit etiam in muliere vidua, vel puella innupta.
8 Quod dos destinata in plerisque habetur pro vera dote.
9 De stylo Curiae, ut Advocati se non ingovent in iis, quae facti sunt.
10 De conclusione, quod in donatione non datur lésio, & de limitationibus.
11 Praesertim in mulieribus.
12 Derivationibus, ex quibus facilis, id procedit in mulieribus.
13 Limitatur praesertim conclusio, de qua num. 10. ubi donans non bene scit, quid donat.
14 Quando mulieris donatio non reputetur lésiosa.
15 Rarum est in mulieribus subsistere donationes.
16 De Statutis exclusivis femininarum, & de rationabilitate revocationum.
17 Quod ista quaestio sit facti, & quomodo decidenda sit.

D I S C. L V.

Amilla Vidua mater, Maria Francisca, & Maria Pieria sorores innuptae, Joanni Andreae filio, ac fratri respectivè, ut facilius, ac decentius uxorem ducere, & subsistere valerent, ac etiam ob amorem, aliaque causas, &c. omnia earum bona, sub aliquibus reservationibus pro earum sustentatione ad vitam, donarunt; Postmodum vero uxore ducta per dictum donatarium, extortique illis domesticis dissidiis, quae à diversi generis foeminarum mixtura, seu convivia etiam frequentiori oriri solent, dictae donatrices, praesertim sorores, judicium instituerunt coram A.C. super dictae donationis invaliditate, sententiam favorabilem reportarunt, à qua interposita, & commissa appellatione, in hoc statu ex parte dicti donatarii pro veritate consultus fui, ad effectum forte determinandi, an expedire causam prosequi, incertumque est, quid inde sequatur sit.

Pro dictae sententiae iustitia, contra requirementem, majori probabilitate assistere respondi; Primò ex capite nullitatis, ob non servatas solemnitates praescriptas à Constitutione Aegidiana l. 5. c. 25. praesertim circa insinuationem Abque eo quod caderet distinctio, in praecedentibus considerata, inter primam partem continentem Constitutionem Aegidiam loquentem solum de minoribus, & postream continentem Constitutionem Carpensem loquentem de omnibus mulieribus quamvis majoribus, ac in genere de donationibus; Tum quia dictae puellae supponebantur minores; Tum etiam quia locus controversiae supponebatur intra provinciam Marchiae, in qua Constitutio Carpenensis rectè procedit, cum dicta distinctio intrat respectu extensionis ad Urbem, ac universum Statum Ecclesiasticum immediatum factae per Sixtum IV. & Paulum II. de Aegidiana, non autem de Carpeni; quae tamen firma remanet in propria provincia, pro qua edita est.

Neque suffragari posse debebam privilegium, quod, juxta veriorum, hodieque observatum opinione, competet donationibus contemplationis matrimonii circa exemptionem à solemnitatibus statutariis, quoniam ut pluries in praecedentibus advertitur, ac etiam sub tit. de dote disc. 17. id pro-

cedit, quando agatur de donatione facta contemplatione certi, ac determinati matrimonii, quod sit causa finalis, ac praecisa; Secus autem ubi plures aliae causas, recenserunt, illa verò matrimonii sit generica, & pro incerto, cum tunc dicatur impulsiva non autem finalis est ibi deductus.

Secundò credebam fortius donationem praedictam non subsistere ex capite lésionis, quae dupliciter quoad dictas puellas concurrebat; Primò scilicet, ut privatae remaneret materna hereditate, saltem in legitima, unde donatio remanebat officiosa, juxta ea, quae ad materiam inofficiosa dotis habentur sub tit. de dote disc. 156. cum isti termini, saltem quoad dotatam, (quidquid sit quoad virum,) pariter congruant; Tum etiam quia ipsae remanebant omnino indotatae, & consequenter inhabilitatae ad matrimonium carnale, vel spirituale contrahendum, ideòque dupliciter donationem invalidam esse dicebam, Primò, ut potè inducivam viduitatis ad text. in l. cum tale, §. rescriptum alias 5. scribitur, ff. de condit. & demonstr. cum concord. per Sanchez de matrim. lib. 1. disc. 34. Alzog. conf. 77. num. 1. & seq. lib. 2. & habetur sub tit. de fideicom. disc. 44. ac etiam sub tit. de matrimonio.

Tum etiam quia ipsa omnimoda indotatio ob enormissimam lésionem exinde resultantem inducit nullitatem, pro qua sufficit non remanere medietatem dotis, multi magis ubi nihil remanet, sed alienatio est de toto, ex iis, quae in hac materia habentur sub d. tit. de dote disc. 20. & 95. & 96. quamvis enim ibi deducta percipiatur dote, quae verè & proprie non cadit nisi in muliere nupta, cum dos à matrimonio nomen, ac essentiam recipiat, & sine quo illa non datur, adeòque in stricta juris censura, soluto matrimonio, titulus dotis evanescat; At tamen quemadmodum receptum est idem procedere in muliere vidua, in qua saltem improprie, sed abusive ex communi usu, ratione praecedentis status, ac destinationis, dos in pluribus suam naturam, ac privilegia retinet, ut locis proximè citat. sub tit. de dote cum ibi deductis; Ita etiam pluries in facti contingencia consultus dicere consuevi (quamvis adhuc occasio non dederit formiter disputare,) ut idem dicendum veniat in puellis innuptis, quarum assis, seu matrimonium ex iuris intentione, vel communi usu, earum dotationis destinata, quamvis adhuc ex defectu matrimonii essentiam dotis non acquirunt, in plerisque dotis naturam, ac privilegia fortitatur juxta ea, quae ex Bart. in l. Titio genero, ff. de cond. & demonstr. & Bald. in l. non sine, C. de bon. quae liber. habentur apud Bal. Novell. de dote in principio operis seu par. 1. n. 20. Thesaur. dec. 101. Urfin. de feud. par. 3. qu. 1. art. 2. & Tum fortius ob dictam rationem prohibere viduitatis, magis in puellis innuptis, quam viduis, in quibus prohibitio non urget, nisi quando facti circumstantiae limitationem suadeant.

Cumque in discursu edito per causae Patronum, (super quo Advocatorum Romanae Curiae stylii est antiquiorum juris Consultorum more, absque eo, quod se ingerant in mechanicum, ac improbo labore inspicere processus, ac agere ea, quae facti sunt, solum de jure respondere,) insinuatèr conclusio seu regula, de qua apud Carenam resolut. 6. Rot. dec. 125. n. 2. & seq. par. 5. rec. & pluries supra, quod in donatione ubi praesertim est para, & simplex continens actum gratuitum, ac liberalem, (adeòque dici non valet correspondiva, quo casu conclusio limitatur,) non datur lésio, cum ipse actus de sui natura dicatur per se esse lésivus; At tamen dicebam, ut admissa etiam dicta regula, adhuc ex praefatis limitationibus ea suffragari non possit.

Inter alia etenim dictae regulae, sed conclusionis limitationes, illa recensentur, quoties donator non remanet congruè provivus de necessariis; Praesertim verò ubi agitur de muliere, ex deductis per Molinam de primogenitura l. 2. cap. 3. n. 30. & 32. Castill. lib. 3. contror. c. 2. n. 69. & in sua materia sub tit. de renunciat. (quarum occasione frequentius foris hujusmodi quaestiones tractat.)

In mulieribus enim ita multiplex ratio intrat; Primò scilicet supra insinuatèr indotationis; Secundò facilis praesumptionis doli, ac seductionis, ob sexus imbecillitatem ex deductis apud Hodiern. contror. 16. n. 46. & seq. & advertitur pluries in praecedentibus; Et tertio, quia, ut plurimum, mulieres praesertim puellae, informatae non sunt de earum bonis, ac juribus, atque ignorant quid donec, vel remittant, opinantes nihil, vel parum remittere, ideòque satis de facili praefatae regulae limitatio intrat, ex iis, quae caeteris relatis habentur apud Ruin. conf. 179. num. 21. & 22.

Et 22. lib. 2. Surt. conf. 46. n. 13. & seq. Gramat. dec. 109. nu. 53. & seq. Rota decif. 102. num. 10. part. 2. dicitur. dec. 130. num. 8. & decif. 318. per tot. part. 4. recent. tom. 2. Et dicta decif. 125. num. 31. part. 5. et in dicta sua materia sub tit. de renunciat.

Ideo que nisi accedat factis iusta, & honesta causa, quae talem donationem, seu renunciationem rationabilem reddat, iuxta casum de quo apud Orthob. dec. 182. & dec. 3. par. 11. res. quod scilicet filii senex, iuri quaerendo, quod sperabat in successione filii, reportata congrua provisione renunciat, ex iusto, & laudabili motivo conservationis bonorum in agnatione, vel decedentia, cum similibus ponderatis in precedentibus, in proposito satisfaciendi causa in contractibus mulierum requisita per Statutum Urbis 151.

Rarum ac difficile est, huiusmodi donationes factas per mulieres, praeterim autem per inexpertas puellas substituere, ubi non inter illa ratio congruentia, & communis usus praesertim Italiae, circa eas renunciations, quae per puellas sunt occasione matrimonii carnalis, vel spiritualis respectivae ad congruum dotem, quia (dicto communi usu attento) sufficere debet eas esse provitas, ut divitiae in agnationibus, & familiis conferrentur, & ne alias, feminis mediatis, ad alienas familias transiret, iuxta antiquos Romanorum, ac Italiae mores, ut pluries advertitur sub tit. de successorib. ac etiam sub altero de testamentis, & alibi, occasione improbandi, seu redarguendi illos verè leguleicos, ac inspidos rigores, quos in sequendo aliquam antiquiorum simplicitatem, adhibemus super stricta interpretatione Statutorum, feminas, vel cognatas excludentium favore masculorum, vel agnationis.

Hinc proinde, huiusmodi quaestiones facti potius videntur, pro facti scilicet qualitate, ad singulorum casuum particularibus circumstantiis decidenda pro iudicis prudenti arbitrio, an actus prudens, ac laudabilis, vel potius de circumventionem suspectus sit, pro personarum & locorum, ac bonorum qualitate, &c. cum desuper certa, & determinata regula generalis tradi non valeat.

PARMEN. DONATIONIS DE TERTIIS PRO COMITE ANTONIO MARIA DE TERTIIS CUM FRATRIBUS.

Responsum pro veritate.

Ad materiam textus in l. quoties, Cod. de donat. quae sub modo, an scilicet, & quando donator remittere possit donatario onera illi adjuncta favore tertii absentis, pro quo nemo legitime stipulatus fuerit.

SUMMARIUM.

- 1. Ad alii series.
2. An donator remittere possit primo donatario onera in praesudicium secundi.
3. Perfecta donatio revocari, vel minui non potest ad l. quoties.
4. De hac materia remissive.
5. Cessat accedente juramento, quod irrevocabilem reddidit donationem factam tertio, & quando secus.
6. Quid ad effectum acquisitionis dominii.
7. In donationibus habentibus tractum successuum, unius acceptatio prodest omnibus.
8. Donatio facta infanti absentis est valida, & irrevocabilis.
9. Donatio facta cum primogenitura, vel fideicommissi non subjacet solemnitatibus.
10. Ex scientia donationis resultat acceptatio.
11. Et quando secus.
12. Ubi habemus acceptationem, cessat omnis questio.
13. Facultas reservata disponendi in vita, an conveniat dispositioni pro ultimam voluntatem.

DISC. LVI.

COMES LUDOVICUS DE TERTIIS, tres habens filios primogenituram erexit in feudis Siffa, & Belvederii, secundogenitum provivis ad vitam de quodam annuo congruo reddito, tanquam per speciem illius vitae militiae, quae in feudis iuris francorum secundogenitis reservata est; Postmodum vero, ut duos secundogenitos in pupillari aetate adhuc constitutos pinguius provideret, ac etiam in satis-

factionem legitime, & dotium maternas, donationem eis fecit de quibusdam bonis pleno iure, etiam in proprietate, Notario pro eis absentibus acceptante, & stipulante, de quibusdam vero aliis stabilibus in solo usufructu, cum reciproca inter eos, atque utroque decedente voluit, ut usufructus consolidari deberet cum proprietate ad favorem dictae primogeniturae; Ad alios autem annos, ad factis secundogenitis effectis majoribus, idem pater, ut omnem discordiarum occasionem inter fratres post ejus mortem dirimeret, de omnium consensu, eisque acceptantibus quamdam fecit divisionem, ac assignationem, per quam dicti fratres aliqua bona pro eorum respectivè commoditate permutarunt; Cumque postmodum idem pater moriens, in testamento aliquas fecisset dispositiones, dictis secundogenitis, vel eorum alteri favorabiliores, primogenito autem in iuribus, ex dicta secunda donatione questis praedictas; Hinc proinde ex parte dicti primogeniti pro veritate consultus fuit, an praeterea donationi feres, paternam testamentariam dispositionem, pro se ejusque in primogenitura successoribus impugnetur possit; Dubitandi rationem praebente, quod dicta donatio proprietatis facta esse primogenito absentis, nemine pro eo acceptante, ac stipulante, dum Notarii acceptatio, & stipulatio erat pro dictis secundogenitis, ad quos verba stipulationis dirigebantur, unde propterea supponebatur ex parte volentium subsistere dictam testamentariam dispositionem, quod intrinsecus terminum text. in l. quoties, C. de don. quae sub mod. cum ibi notatis per scribentes; Vel theoria Bart. in l. qui Roma. §. Flavus. Hermes. ff. de verb. oblig. ut re integra, & ante acceptationem factam à tertio, cujus favore donator donatario onis adjecerit, illud in toto, vel in parte remitti valeat.

Ex facti autem qualitate, iuxta notulam transmissam, ac instrumentorum seriem, (non tamen visis fundamentis, quibus secundogenitorum praesentium innoteret, dixi probabilius pro ipso primogenito, eisqueque in primogenitura successoribus respondendum videri, quodque pater non potuerit ius ex dicta donatione primogeniturae quantum, per subseqentem dispositionem tollere, vel diminueri ad text. in l. perfecta, C. de don. cum concord. plenè deductis sub tit. de fideicommissis ad disc. 134. usque ad 140. ubi de materia potestatis donatoris gravandi donatarium in bonis donatis, seu aliis ei praedictandis, posita donationis validitate, ac perfectione.

Neque obstat dicebam, quod dispositio ad favorem primogeniturae facta esset ad favorem absentis, nemine pro eo acceptante, & stipulante, iuxta dictos terminos text. in l. qui, C. de don. quae sub mod. cum ibi notat. & theoriam Bart. in d. l. qui Roma. §. Flavus. Hermes. ff. de verb. oblig. Quoniam inter plures limitationes vel declarationes, quibus ista conclusio subjacet, & de quibus agunt relati per Gratian. discip. 405. nu. 19. & seqq. & discip. 775. n. 3. & seqq. Fab. de Ann. conf. 33. Rovit. dec. 89. latè Merlin. controv. 59. & 60. lib. 1. Rot. decif. 37. num. 6. par. 7. recent. & dec. 174. num. 21. par. 6. & in aliis, de quibus infra, tres ad rem facere videbantur.

Primo scilicet ratione iuramenti, quod ex magis communis receptaque opinione reddit donationem irrevocabilem, quamvis absentis factam, ac nemine pro donatario acceptante, & stipulante, quoties agitur de donatione lucrativa, ita ut utilitatem importet, quamvis aliquid admixtum sit onus emolumento inferius, unde propterea abicit dubietas, quod possit causare damnum in bonis propriis, ut ex ea donatio, infirmata disc. 54. ut antiquioribus relatis habetur apud Gabriel. de verb. oblig. conclus. 1. n. 69. Fab. de Ann. d. conf. 32. n. 4. Grat. d. discip. 775. n. 13. Buratt. dec. 149. n. 2. & decif. 373. n. 11. & 12. Duran. dec. 364. n. 1. & 2. Dunozett. dec. 773. n. 9. in fin. latè dec. 387. par. 9. rec. n. 31. repetit. dec. 110. post Merlin. de pignor. & in Rbeggien. bonorum 23. Januarii 1647. coram Corrado, confirmatoria alterius proximè supra allegatae, & advertitur pluries in precedentibus, cum sit conclusio recepta quoad punctum poenitentiae, & ne donator possit revocare, vel alterare, quidquid sit quoad acquisitionem dominii pro iure tertii, in quem medio tempore ex causa onerosa, & bona fide, citra collusionem, idem dominium translatum sit, ad quem effectum intrat difficultas, de qua apud Merlin. d. controv. 60. lib. 1. ubi an actio competens secundo donatario sit realis, vel personalis, Rot. apud Rojas dec. 314. & in aliis.

Secundo, quia ad primogenituram vocata erat universa ipsius donatoris decedentia, iuxta linearem ordinem, & consequenter ipsimet secundogenitis, (quorum nomine Notarii stipulatio, & acceptatio accesserat) erant etiam donata-

narii, utpote ad eam vocati, unde resultat recepta conclusio, de qua plene ceteris relatis dec. 40. & 387. par. 9. rec. quare prima est repetit. dec. 189. post Zacch. de oblig. Camer. & in supra allegata Rbeggien. bonorum 23. Januarii 1647. coram Corrado, & d. tit. de fideicommissis ad disc. 134. ad 140. quod in huiusmodi donationibus conceptis ad favorem personarum univèrsi generis cum tractu perpetuo, ac successivo, & consequenter ad favorem etiam nasciturorum, quos impossibile erat ut essent praesentes, vel acceptare, ac stipulari possent, ut essent stipulatio unius sufficit pro omnibus; Si enim ex dicta ratione impossibilitatis, infanti- 8 lis aetas operatur, ut in actibus lucrativis, in quibus, data scientia, acceptatio praesumenda est, ipsa lex nomine infantis acceptat; & stipulatur, ex deductis in dictis decisionibus Rbeggien. coram Corrado, ubi concordantes; Multo magis in notatis, ac successivè ad saecula proceandis.

Accedente etiam ratione favoris agnationis, vel sanguinis, ob quem huiusmodi donationes nimium benignè capiuntur, unde non procedunt in eis rigores juris communis, vel statutarii, ut in proposito solemnitatum non adhibendarum, seu rationis non admittenda in donationibus facti pro erectione primogeniturae, vel fideicommissi in familia, seu decedentia, ex Molina de primogenitura, & aliis allegatis habetur apud Orthob. dec. 182. & dec. 23. par. 11. rec. utrobique in fine, & occasione insinuationis pariter in hac donationum specie non desideranda habetur disc. sequenti, ac generaliter pluries in precedentibus in proposito donationum factarum pro mulieribus, vel alios in quibus ob intellectum imbecillitatem solemnitates alique desiderantur, sive circumventionis praesumptio de facili intret.

Tertiò demum, (per quod omnis dubitandi ratio cessabat in radice ex solo facto, ubique necessitate recurrendi ad apices, vel propositionis juris) quod ex posteriori actu supra recensito divisionis, ac assignationis respectivè factae per patrem inter dictos tres filios praesentes, & acceptantes, constat ex instrumento desuper inito, quod donatio haec enunciatur cum dispositione ad favorem primogeniturae; Ideòque dicebam ita probari in dicto primogenito scientiam certam, ac expressam, ista vero posita, in actibus lucrativis, ac certam utilitatem in toto, vel saltem in parte excedente onus, continentibus lex praesumit acceptationem, & ad quem effectum etiam scientiae probatio praesumptiva, seu adminiculata va sufficit, ex iis, quae ceteris copiosè relatis habentur d. dec. 40. & 387. par. 9. rec. & in Rbeggien. 23. Januarii 1647. coram Corrado, ac frequenter, cum sit conclusio hodie recepta non admittens amplius controversiam cadentem in solo casu, in quo agatur de illa specie donationis onerosae, quae in substantia potius contineat contractum correspondivum cum intercedit, an ex futuro eventu utilis, vel damnosus esse possit, ut satis bene ita declaratur firmata dec. 27. p. 7. rec. & in aliis advertitur in Rbeggien. bonorum cor. Corrado, & pluries insinuat in precedentibus.

Sed (quod magis) ultra scientiam, quae acceptationis praesumptionem redolet, ex eodem actu resultabat certa probatio acceptationis expressae; Et consequenter intrabat regula textus in l. ille aut ille, ff. de legatis tertio, quod in claris, & expressis cessant omnes quaestiones, & argumenta; Ideòque cessabat, ut dictum est in radice omnis questio, dum remissio quam per testamentariam dispositionem donator donatario fecerat, erat re non integra, & post acceptationem.

De plerique aliam super hac facti specie consultus fuit, in facto potius quam in iure consentientibus, praesertim verò quoad reliqua bona libera patris in erectione primogeniturae, vel in subseqenti donatione non comprehensa, cadentia tamen sub dicto ultimo actu divisionis, ac assignationis respectivè, an idem pater testando potuerit disponere, dictamque assignationem alterare; Dubitandi rationem praebente protestatione per eundem patrem facta, ut per dictum actum, in qui pro filiorum quiete post ejus mortem gerebatur, nullum in eius dominio, ac possessione generaretur praedictum, sed integra remaneret libertas disponendi in vita, an scilicet haec praesertativa, utpote restricta ad dispositionem in vita, suffragaretur pro dispositione per ultimam voluntatem; & Respondit tamen dubitationem non cadere, illa etenim, quae pluries habetur sub tit. de fideicom. percutit diversos terminos facultatis alicui concessae disponendi de alienis, an scilicet explicita in una specie dispositionis trahatur ad alteram, vel etiam terminos facultatis reservatae in bonis propriis, quae tamen per donationem jam perfectam alteri quaesita sint, secus autem in praesentibus, quod disponendi facultas non dici poterat dativa, Card. de Luca Lib. VII.

fed nativa, competens jure proprio, ac primavae, reservatio autem continebat expressionem ejus, quod de jure inerat, seu declarationem animi non donandi, sed faciendi simplicem assignationem, vel distributionem inter filios, quae de sui natura est quocumque revocabilis, ex deductis supra in Foresempronien. disc. 40. & in aliis.

ANNOT. AD DISC. LVI.

Ad materiam text. in l. quoties, Cod. de donat. notatum est supra ad disc. 36. Et videri poterunt deducta in eodem tit. de donat. disc. 65. ubi agitur an secundo donatario competat actio ad bona donata contra Tertium, in quem primus donatarius distraherit.

PARMEN. DONATIONIS SEU FIDEICOMMISSI PRO PETRO JANNOTO, ET CONSORTIBUS CUM JOANNE BAPTISTA ROSCETTO.

Casus disputatus coram A. C. resolutus & ut infra.

An in donatione facta cum ordine successivo, vel fideicommissi ad favorem plurium, necessaria sit acceptatio primi donatarii, qua non sequuta illa evanescat, quoad alios successivè vocatos, necne, Vel potius substituti venire possint jure proprio. Et quando donatio dicatur lucrativa, vel onerosa ad eundem effectum.

SUMMARIUM.

- 1. FAbi series.
2. Factum primi donatarii non praedictat aliis in donatione successivè vocatis.
3. De distinctione donationis ex causa lucrativae, vel onerosae, & quando acceptatio sit praecisè necessaria ad perfectionem donationis.
4. De eodem, & quando dicatur donatio verè onerosa, & correspondiva.
5. Ubi actus est imperfectus, atque recipit perfectionem ab acceptatione, vel alio implemento primi donatarii, si id non sequatur corrumpit, & quando non.
6. Observantia contraria, declarat voluntatem referendi actum.

DISC. LVII.

DE anno 1592. Jo. Bernardinus Saldanus presbyter, ex motivo conservandi bona in agnatione, donationem facit Camillo, & Octaviano ex itrate nepotibus, & successivè eorum filios, & decedentibus, ac in istorum defectum ad favorem proximioris, sub onere quod donatarii, ipsi videnti suppeditare deberent annua scuta 60. monetæ, & certam quantitatem frumenti, ordei, vini, & olei, nec non habitationem in domo cum necessaria suppellectili, ac tenere pro eo equum, vel mulum paratum ad aequitandum; Nulla vero sequuta acceptatione expressa, ad annos inter dictos donantem, & donatarium, deventum est ad divisionem bonorum, quae pro communi possidebantur; Eodemque defuncto, praefati Camillus, & Octavianus ab initio haereditatem adierunt, istoque titulo ejus bona possidere professi sunt, atque ipsimet, vel eorum filii aliqua ex his distraherunt; Omnibus autem defectis, Jo. Baptista proximior, praetendens ejus vocacionis locum factum esse, iudicium instituit coram A. C. ad dicta bona contra eorum possessores, atque in disputationibus desuper habitis, ultra inspectionem in puro facto consistentem super bonorum identitate, cujus nullae erant partes Advocatorum.

Quatenus pertinent ad ea quae jure sunt; Scribentes pro auctore se fundabant in conclusione, de qua pluries in precedentibus, quod scilicet ubi agitur de huiusmodi donationibus cum quodam ordine fideicommissi ordinatis favore plurium personarum, vel generum ordine successivo, atque accedit stipulatio Notarii pro omnibus (quae in instrumentis celebratis in Statu Ecclesiastico semper adferuntur ratione obligationis cameralis habentis in ventre stipulationem pro omnibus quorum interest) tunc omnes dicuntur ab initio donatarii, adeòque tot dicantur donationes quot sunt personae, ideòque factum negativum, vel positivum primi, non possit aliis praedictare, ex deductis supra in Romana donationis de Kndessili disc. 9. & in aliis pluries hoc eodem tit. ac etiam sub titulo de fideic. disc. 134. cum plur. seqq. Quodque pro-